



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Quàm justum sit, nostrum quemlibet, ei Domini nostri desiderio studiosùs respondere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Luc: Wad:
ann. 1308.
num. 73.

conspēta Christi crucifixi effigies, ex ipsa carne exsculpta ac protuberans, unā cum Dominicæ lanceæ ac spongiæ similiter effictis iconibus; in altera verò, flagellum, funes, columna; suo quæque colore atque aprâ soliditate constantia. Atque cor istud admirabile, passionis Christi notis ac instrumentis insigne, etiamnum in præfati oppidi cænobio asservatur, & pietatis causâ spectare volentibus, exhibetur.

§. 3.

Quàm justum sit, nostrum quemlibet, ei Domini nostri desiderio studiosius respondere.

EN quo studio, quibusve modis, imò quot quantisque prodigijs, à nobis studuit obtinere dulcis Salvator, ut semper in pectoribus nostris superstes vivat ipsius dolorum grata ac constans recordatio. Quid si ad hæc adjunxerimus illud prodigiosum prodigium, & memoriam seu epitomen mirabilium Dei, Eucharistici inquam Sacrificij ac Sacramenti institutionem? quod vel idecirco potissimum Ecclesiæ suæ à Redemptore nostro relictum est, ut per mysticam illam ipsius Christi immolationem, cruentum crucis Sacrificium representaret, & (nequa nos ejus caperet oblivio) perpetuo & ad mundi finem duraturo mysterio, ipsam Domini mortem, ut Apostolus ait, annuntiaret; de quo quoniam inferius rursus erit dicendi locus, hoc loco satis fuerit indicasse. Juvabit interim rem concludere verbis S. Joannis Chrysostomi, qui ad hanc ipsam divini Sacramenti institutionem aspiciens: *Vides, inquit, quantum ei Studium fuerit, ut semper memoriâ teneamus, ipsum pro nobis mortuum fuisse.*

Hom: 83.
in Matt:

Quàm autem meritò id à nobis postulet amabilis Redemptor; ut istud suum immortale in nos meritum, gratâ recordatione; passionem suam amarissimam, aliquâ saltem nostrâ compassione; mortem denique nostrâ causâ

obi-

obitam, omnibusque venis fufum sanguinem, vel unâ subinde lacrymulâ prosequamur: & respicâ per se loquitur, & proprio postea capite uberiùs dicturus sum; ut nihil opus sit hoc loco pluribus disputari.

Tantum hîc tecum reputes velim: quando magna pars mortalium Christum JESVM Dei filium unigenitum, per summos dolores & amarissima opprobria, in patibulo crucis pro ipsorum salute mortuum, aut per cæcitatem & infidelitatem ignorant, aut per vecordem oblivionem non recogitant; profectò par esse, eos qui immensi ejus beneficii, non fidem modò, sed sensum etiam aliquem habeant, & ejus auctori Domino nostro JESV Christo impensius gratificari ament, contentiori studio pium hoc exercitium arripere, & (quoad ejus fieri poterit) aliorum defectum ac stuporem conducipatâ devotione supplere.

Quamobrem ut caput hoc aliquando finiam, vulgatum illud è Threnis carmen, tanquam ab ipso Christo tibi propriè occini, & ad aurem cordis identidem insufurrari non immeritò existimes: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis.* Thren: 3. Perinde ac si diceret: Dilecta anima, recordare obsecro eorum quæ pro te passus sum, in cruce pendens & moriens amore tui. Et si nondum potes dare sanguinem pro sanguine, & vitam vitâ, mortem morte pensare: vivat in te saltem jugis ac grata meritorum meorum memoria, & vel hoc infimo non ingrata mentis officio, amorem ac dolorem meum compensare satage.

Hîc verò quid agat dicatve fidelis anima, nisi pudore simul ac dolore victa exclamet, illudque pro se reponat, quod laudatis Threnorum verbis proximè subjunctum est: *Memoriâ memor ero, & tabesceat in me anima mea.* Erit planè, quemadmodum optas, mi bone JESV, quando tuum tam ardens id votum est. Versabitur mihi assiduè ob oculos extre-

extrema paupertas ac nuditas, in qua mortuus es, omni tum exteriori tum interiori solatio destitutus. Recordabor myrrhæ ac fellis, quo sub ipsa morte potatus es. Neque obliviscar absinthij, seu amaritudinis amarissimæ, quæ in illa hora perfusa fuit anima tua, & temerata suavitas cordis tui. Memor ero denique transgressionis tuæ, hoc est excessus illius, quo & amor & dolor tuus omnem sive amoris, sive doloris modum transgressus est. Neque languidâ duntaxat memoriâ, stertilive recogitatione complectar passionem tuam, sed illius vivam imaginem cordi meo altè infixam assiduè circumferens, ejusque momenta, nusquam intermissâ contemplatione versans, amore liquefcam, contabescam dolore; perennique luctu, & si quas de siliæ cordis mei extundere possim piæ commiserationis lacrymas, his tanquam lilij violisve tibi jucundissimis, tuum optimi ac dulcissimi parentis funus respergam.

C A P U T I X.

*Idem Exercitium B. Virgini Dei Matri sum-
mopere placere.*

Nemo est fidelium qui nesciat, quàm referat ad æternam salutem, illam sibi conciliare ac demereri, quæ ecclie janua, & electorum Mater speciali quadam ratione à filio suo constituta est. Atqui quàm ei acerbum fuit, filium suum dilectissimum in patibulo crucis pendentem, & per summos dolores expirantem aspicere: tam nunc ei dulce est ejus cruciatus assiduè recolere, & perquam jucundum ac volupe, si sui clientes frequenter eandem exercitationem usurpent. Quod etsi, ex eo quo in filium est animo, pronum erat cuique conijcere; necui tamen id obscurum esset, dignata est non semel dilectis filij sui Sponsis, Birgitæ, Mechtildi, aliisque Sanctis ore suo testatum facere.

Nimi-